

scabiem, a DEO profecto coercendam, reliquis affrikturi. *Cur enim*
me vel pudeat affirmare, vel fateri pigeat, non ea esse felicitate Gymnasium.
Schleusingense, ut inter discipulos, malus qui sit & ingratus, neminem habeat?
suo iamdum tempore, A. 1605. conquestus est Rector Gymnasii nostri
multo literatissimus, B. Wolfgang. Seberus, in oratione, publico iussu ha-
bita, typisque excusa de Satanae aduersus Scholas odio; quod aliquanto
ante, A. 1604. asperior quaedam fortunae iniquitas, quam utinam
ne ego in discipulis meis habeam experiri! Gymnasium attentarat. Verun-
tamen longe maior est felicitas, longe amplior fortuna prospera..
Superant etiamnum **NVTRITORES SERENISSIMI**, qui Gymna-
sio validissime fauent, eidemque, quibuscunque possunt modis,
subueniunt. *Administratos hi suos habent, Viros splendidos, qui de*
Principum voluntate saluti nobis sunt diligenter studiosissimeque.
Schleusingae nostrae, ut Gymnasium prope intuear, adhucdum agit
Dn. Ephorus summe venerandus. Et, si Dietmarum exceperis mortuum,
Golnerumque Sulam traductum, sua caeteri munera hodieque con-
ficiunt Praeceptores. Pietas & disciplina perstiterunt, neque a Satana,
vtut quotidie molitus sit, potuerunt per quinquennii tempus protinus
disturbari. Bonae literae traditae sunt, & quam praescripsit Superio-
rum cura, methodus retenta fuit, ac vndique tenenda tantum non,
singulis horis jure merito iniungitur. Viguerunt vigentesque benefi-
cia Communitatis, panis & iuris quotidiani, & panni Eleemosynarii. Collatae
oppido sunt donationes, Abesseriana, Werneriana, Lebzelteriana, Schot-
tiana, Streitliniana, Dilherriana, Bechmanniana, Zapfiana, Ebertina, Hege-
waldina, Hubneriana, & Forsteriana, hoc ordine ab honoratissimo Dn. Epho-
ro alias recensitae; suaque nunc Franckenbergeriana sumet initia: Suc-
creuit pecunia, quae per Musicam circularem solet colligi. Praecipit,
Laudatissimus Dn. Ephorus suis ex Theologia lectionibus publicis, di-
sputationibusque; secuti sunt Praeceptores, iuuentutem manu velut
ducendo ad facienda ingeniorum pericula. Vt idcirco in Gymnasii
Actis meique Rectoratus habeantur tot exercitationes Theologicae, Ethi-
cae & Oratoria: tot declamationes publicae, publico-priuatae, menstruae,
trimestres, valedictoriae e. s. p.; tot per DEI gratiam hoc quinquennii in-
teruallo introduci sint pueri & adolescentes, & iidem plerumque
aduenae: tot in Academias se contulerint, qui ad Ecclesiae & Reip.
commoda suam aliquando operam sunt nauaturi. Seruatae sunt
antiquae aedes, Classium VII., Phrontisterii, Dormitorii, Oeconomiae, Coena-
culi; ipsaeque Praeceptorum Gymnasii seruatae sunt aedes. TIBI, Deus im-
mortalis, pro hac fortuna quinquennali aeternae sunto gratiae & laudes
continuae! Fieri vero patieris beneficiorum breuem, quod pro opibus
nostris moenia efficimus, historiam; vt de hac nostra felicitate, in qua
tamen delineanda nec iniquioris prorsus fortunae obliuiscemur, etiam
alii cognoscant; fortunam quinquennalem, h.e. ulterioremente demis-
sissima nobiscum voulent SER. NVTRITORIBVS: & tandem Gymna-
sio, quod annos iam centum & viginti quatuor seu ad XXV. quinquennia
inter tot aduersae fortunae procellas substitit, secundissimos euentus
rite gratulentur.

B

I. FOR-